Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2185
Quelle:
Copyright:

qui in edit. *cit.* T. III. P. 1. p. 323. insignitur: *De Praeparatione ad Missam et Pollutione nocturna*, et incipit: *Dubitatum est apud me frequenter* &c. Verum tres duntaxat primae *Considerationes* nobis subpetunt, quae in ea desinunt verba: *et presumpcionis foueam.* Opusculum istud cum aliis praestantissimi viri Tractatibus sub ipsa Typographiae primordia non semel prelo subjectum est.

III. *fol.* 207. *Incipit Prologus Magistri Johannis Gersonis Cancellarij Parysiensis de XX^ti regulis ad interpretandum sacram scripturam Contra hereticos* (Hussitas) *modernos condemnatos.* Initium: *Oblaturus iuxta seniorum huius Sacri Concilij Constantien.* &c. Extat edit. *cit.* T. I. P. 3. p. 457. et in *Codd.* nostris variis, ut *Index* docet. Sed ea, quae in edit. ex *Cod. Ms. D. Targny* inserta sunt, *Codices* nostri non habent. Praesens hac gaudet clausula: *Explicit tractatus aduersus heresim nouam de necessaria communicatione laicorum sub utraque specie raptim editus Constantie Anno. 1417. die XX Augusti a Jo. Cancellar° parisien.* Adhaerent: *Auctoritates doctorum facientes ad predicta.* Sunt effata *Alexandri Alens. Richardi de Mediavilla*, *Nicolai de Lyra*, et *Thomae Aquinat.* bifariam divisa, de quibus in fine monetur: *Isti duo ultimi tractatus secundum intentionem auctoris. s. magistri Johannis Cancellarij parisien. debent poni post tractatum nomum precedentem de magnificat. s. post versum* Esurientes. *In quo agitur de sacramento altaris.* De quo nihil in Editione *cit.*

IV. *fol.* 213. rubro: *Incipit pulcherrimum et deuotissimum opusculum de laude melliflui nominis domini nostri ihesu christi, editum a deuoto domino Bonauentura ordinis fratrum minorum doctore eximio in sacra pagina quondam sancte matris Romane Ecclesie presbitero cardinali.* Ita quidem Titulus, sed excusso *Waddingo*, *Oudino* et *Fabricio* nihil ejusmodi *Bonaventurae* tribui deprehendo. In X. *Sermones* abit Opusculum praevio *Prologo*, qui incipit: *Mulier chananea precibus importuna, sed verius opportuna, salutem filie pecijt et accepit — et tu frater karissime labori meo non parcens nec occupationibus condescendens aliqua scribi de nomine Jesu, sermonem dixerim uel epistolam, uel contemplationis speculum, nescio, petis obnixius* &c. Sermones ipsi Nomen *Jesu* ut *virtuosum, gaudiosum, generosum et gloriosum* efferunt. Initium primi est: *Sicut aqua fontis exigui leniter evaporans* &c. Ad calcem legitur: *Explicit hoc devotissimum opusculum a domino Bonauentura compositum Cuius lingua post reliqui corporis incinerationem integra et incorrupta remansit et in Conuentu fratrum minorum cuius ordinis ipse fuit in Ciuitate Lugdunen. reseruatur. Decebat siquidem ut tam nobile organum quod tam dulcia et sancta verba resonuerat, nullatenus sentiret corruptionem.*